

ANSGARIUS DIRKS O.P., *De evolutione liturgiae dominicanae*, in «Archivum Fratrum Praedicatorum» (ISSN 0391-7320), 50, (1980), pp. 5-21.

Url: <https://heyjoe.fbk.eu/index.php/afp>

Questo articolo è stato digitalizzato dalla Biblioteca Fondazione Bruno Kessler, in collaborazione con l'Institutum Historicum Ordinis Praedicatorum all'interno del portale [HeyJoe](#) - *History, Religion and Philosophy Journals Online Access*. HeyJoe è un progetto di digitalizzazione di riviste storiche, delle discipline filosofico-religiose e affini per le quali non esiste una versione elettronica.

This article was digitized by the Bruno Kessler Foundation Library in collaboration with the Institutum Historicum Ordinis Praedicatorum as part of the [HeyJoe](#) portal - *History, Religion, and Philosophy Journals Online Access*. HeyJoe is a project dedicated to digitizing historical journals in the fields of philosophy, religion, and related disciplines for which no electronic version exists.



Nota copyright

Tutto il materiale contenuto nel sito [HeyJoe](#), compreso il presente PDF, è rilasciato sotto licenza [Creative Commons](#) Attribuzione-Non commerciale-Non opere derivate 4.0 Internazionale. Pertanto è possibile liberamente scaricare, stampare, fotocopiare e distribuire questo articolo e gli altri presenti nel sito, purché si attribuisca in maniera corretta la paternità dell'opera, non la si utilizzi per fini commerciali e non la si trasformi o modifichi.

Copyright notice

All materials on the [HeyJoe](#) website, including the present PDF file, are made available under a [Creative Commons](#) Attribution-NonCommercial-NoDerivatives 4.0 International License. You are free to download, print, copy, and share this file and any other on this website, as long as you give appropriate credit. You may not use this material for commercial purposes. If you remix, transform, or build upon the material, you may not distribute the modified material.



DE EVOLUTIONE LITURGIAE DOMINICANAE

SCRIPSIT ANSGARIUS DIRKS O.P.

In paginis quae sequuntur exponere conabimur, collatis omnibus documentis praeumbertianis quae ad nos pervenerunt, quomodo ritus Ordinis Fratrum Praedicatorum evolutus sit usque ad correctionem et ordinationem Humberti de Romanis. In hac evolutionis expositione lectoribus notum supponimus Ordinarium eiusdem Humberti¹ seu Liturgiam Dominicanam ab eo ordinatam.

Si fontem vel fontes Liturgiae Dominicanae cognoscere volumus, necesse est inquirere in statum primitivum huius Liturgiae et in gradus evolutionis sibi succedentes, quia Liturgia ab Humberto ordinata longioris et difficilis evolutionis est terminus, sicut documenta praeumbertiana demonstrant.

Quando autem in his quae sequuntur res designamus in quibus H ab omnibus documentis praeumbertianis differt, minime affirmare intendimus omnes has discrepantias correctioni Humberti adscribi debere: plures enim mutationes fortasse iam ante H factae sunt (v.g. a Commissione quattuor Fratrum²), de quibus tamen documenta ad nos non pervenerunt.

Nonnumquam affirmatum est ritum Ordinis Praedicatorum a ritu Cisterciensi, saltem ex parte, dependere³. Propterea in expositione nostra saepe libros ritus Cisterciensis, ut comparentur, afferimus⁴, qui quidem interdum ostendunt ritum Dominicanum in nonnullis partibus cum illo

¹ In sua Praefatione ipsi editioni Ordinarii praemissa Guerrini affirmat Ordinarium prout in Prototypo iacet exaratum fuisse post Capitulum generale a. 1259 celebratum, quia continet dictionem ab eodem Capitulo correctam (pp. XI-XII). Hanc tamen correctionem super rasuram scriptam esse manifestum est. Non est igitur cur Ordinarium post a. 1256 exaratum esse putaremus.

² Ut iam diximus (AFP XLIX (1979) 7, n. 4), non credimus codicem B fructum repraesentare laborum Commissionis quattuor Fratrum (1246-1248).

³ Cf. Dominique Delalande O.P., *Le Graduel des Prêcheurs*, Paris 1949.

⁴ Praecipue in illa parte nostrae expositionis, in qua de evolutione Missalis O.P. tractabimus.

Cisterciensi concordare, sed saepius demonstrant ambos ritus inter se differre. Hoc affirmando, aliquam dependentiam, saltem in quibusdam partibus, a priori negare minime volumus.

Alicui videri potest discrepantias nimis parvas inter documenta primaevae Liturgiae Dominicanae nos proferre, sed e pluribus parvis discrepantiis simul sumptis fortasse ad dependentiam ab hoc vel illo fonte vel saltem ad affinitatem cum hoc vel illo ritu concludere licebit.

Inprimis textuum evolutionem exponemus, deinde illam rubricarum, etsi comparatio pristinarum rubricarum cum rubricis aliorum Ordinariorum nos ducere potest ad fontem vel fontes ritus inveniendos, ut infra videbimus.

In nostra expositione his siglis et abbreviationibus utimur:

C	København, Det Kongelige Bibliotek, Ny Kgl. Saml. 632, 8 ^o .
M	Houston, Menil Foundation, 65-62 DJ. Antiphonarium O.P. praehumbertianum.
B	Romae, Archivum gen. O.P., XIV L 2. Breviarium notatum praehumbertianum.
H	Romae, Archivum gen. O.P., XIV L 1. Prototypus Liturgiae Dominicanae.

Pro ulterioribus notitiis de his codicibus vide AFP XLIX (1979) 5-7.

AFP	Archivum Fratrum Praedicatorum.
HBS	Henry Bradshaw Society, founded in the year of Our Lord 1890 for the editing of rare liturgical texts; London.
MOPH	Monumenta Ordinis Praedicatorum Historica.
Ord. O.P.	Ordinarium iuxta ritum Sacri Ordinis Fratrum Praedicatorum, ed. F. M. Guerrini O.P., Romae (1921).
Ord. Carm.	Antiquum Ordinis Carmelitarum Ordinale (s. XIII), ed. Patrick de Saint-Joseph C.D., Tamesis 1912.
van Dijk Origins	S. J. P. van Dijk-Joan Hazelden Walker, The origins of the Modern Roman Liturgy. The Liturgy of the Papal Court and the Franciscan Order in the thirteenth century, London, Westminster MD 1960.
van Dijk Sources	S. J. P. van Dijk, Sources of the Modern Roman Liturgy. The Ordinals by Haymo of Faversham and related documents (1243-1307), Leiden 1963, 2 vol.

Inquirendo in Ordinaria quae fontes fuisse potuerint primaevae Liturgiae Dominicanae, incurrimus in Ordinale Ecclesiae Exoniensis (Exeter). Hoc Ordinale, editum in Collectione HBS ⁵, scriptum est

⁵ HBS 37; alii libri Ecclesiae Exon.: 38, 63, 79.

a. 1337 a Iohanne de Grandisson, nat. a. 1292, consecrato episcopo Exoniensi, Avenione, a. 1327⁶.

Multae rubricae e codicibus M et B ad verbum, vel fere ad verbum, et quidem in eodem loco, reperiuntur in Ord. Exon., nonnullae etiam in Breviario Herefordensi⁷.

Non existimandum est Ord. Exon. dependere a B, sed potius credimus utrumque codicem (saltem ad rubricas quod attinet) a fonte communi dependere, qui esset originis Britannicae⁸.

Similitudo textuum rubricarum, quae infra referimus, statim conspicitur.

DOMINICA I IN ADVENTU DOMINI

Ad I Vesperas

Ord. Exon., p. 23

B, f. 49^{ra}

« Antiphona prima *Benedictus*. Rector ex parte chori ipsum psalmum prosequatur, hoc modo *Dominus deus meus*, et sic fiat semper ubicumque antiphona et suus psalmus unum habent initium in plana (sic) dictione »⁹.

« ... super psalmos ant. *Benedictus*. Cantor ipsum psalmum prosequatur hoc modo *Dominus deus meus*. Et sic fiat semper ubicumque antiphona et suus psalmus unum habent initium in plena dictione ».

Cum haec rubrica tum in B tum in Ord. Exon. inveniatur ad I Vesperas dominicae I Adventus, in Ordinario Humberti (n. 73) habetur ad I Vesperas dominicae I post octavam Epiphaniae et hic, in fine, loca *initium in plena dictione* legitur *initium in plena dictione dissilaba vel supra*.¹⁰

⁶ HBS 37, XXIII, XLVI; 63, 4.

⁷ HBS 26, 40, 46.

⁸ Solutio huius problematis alii tempori vel potius aliis studiosis Liturgiae Dominicae relinquenda est. — Ord. Exon. magna ex parte refert usum Sarisburiensem (Sarum). Plures igitur rubricae infra relatae similiter inveniuntur in Breviario Sarum. Sed huius Breviarii solam editionem a. 1531 novimus (Fr. Procter and Chr. Wordsworth, *Breviarium ad usum insignis Ecclesiae Sarum*, 3 vol., Cambridge 1879-1886). Unde maluimus rubricas praehumbertianas comparare cum illis Ordinalis Exoniensis a. 1337 (HBS 37). Non in promptu habuimus opus egregium: W. H. Frere, *The use of Sarum*, 2 vol., London 1898, 1901.

⁹ Eadem rubrica invenitur in Ordinali Herefordensi: HBS 46, 39.

¹⁰ Verba *dissilaba vel supra* leguntur pariter in eadem rubrica (sed inter rubricas generales posita) in Ord. Carm. (p. 19).

Post Tertiam

Ord. Exon., p. 39

B, f. 53^{vb}

« Hoc autem per totum annum generaliter observetur sive de temporali sive de aliquo sancto fiat servitium, quod semper oratio que dicitur ad Matutinas dicatur ad Terciam, Sextam et ad Nonam, et ad secundas Vesperas; preterquam in quarta et sexta feria et sabbato quatuor temporum Adventus, et in sexta die a Nativitate domini, et in secunda feria in Rogacionibus, et nisi a quarta feria in capite ieiunii usque ad octabas Pasche, et in Dedicacione ecclesie. Nam tunc variatur oratio ad Vesperas ¹¹ ».

« Oratio *Excita quesumus domine potentiam*. Hec collecta ad horas huius diei dicatur. et etiam totius ebdomade. Hoc autem per totius anni circulum generaliter observetur. sive de temporali sive de sancto aliquo sive in diebus sabbatorum de beata virgine fiat servitium; quod semper oratio que dicitur ad matutinas dicatur ad III et ad VI et ad IX. preterquam in quatuor temporibus adventus et in dominica infra octavas nat. domini. et in dominica infra oct. epiphanie et in duobus diebus rogationum et in dominica infra oct. ascensionis ».

In Ordinario Humberti huiusmodi rubrica, sed diversimode concepta, non habetur dominica I Adventus, sed invenitur inter rubricas generales (n. 6: « De oratione dominicali »), sicut in Ord. Carm. (p. 84).

Notate insuper in utroque textu (B et Ord. Exon.) usum vocabulorum « temporale », « servitium », « matutinae ». In Ordinario Humberti numquam fit sermo « de temporali », sed semper « de tempore »; loco vocabuli « matutinae » ibi semper adhibetur « laudes ¹² », loco vocabuli « servi-

¹¹ In Breviario Hereford. habetur haec rubrica: « Hec oratio dicatur ad omnes horas huius dominice et etiam totius hebdomade quando de adventu agitur. Hec autem per totius anni circulum generaliter observentur sive de temporali sive de aliquo festo fiat servitium, quod semper oratio que dicitur ad matutinas ad omnes horas diei et ad secundas vespas dicetur, preterquam in quatuor temporibus adventus, et in die nativitatis domini: et nisi in quarta feria in capite ieiunii usque ad pascha: nam tunc ad vespas semper variatur oratio nisi in dominicis »: HBS 26, 100. In Ordinali Hereford. rubrica invenitur paululum brevior: HBS 46, 50.

¹² In B vocabulum « matutinae » indicat vel totum Officium nocturnum, i.e. eam partem quae postea Matutinum vocabitur, una cum Laudibus matutinis, vel, raro, Laudes tantum (v.g. f. 82^{ra}: « per unam collectam matutine et missa terminantur »). Interdum in B vox « Laudes » adhibetur, praesertim in titulis et nonnullis rubricis, v.g.: « Feria V et VI et sabbato (post Cineres). Ad matut. Invit... In laud. q. psalmi... » (f. 133^{va}). In Ordinario Humberti regulariter duo adhibentur vocabula: « matutinae », pro nocturnis(o), et « Laudes ». Sequuntur quaedam exempla: In B legitur: « Iste hymnus (i.e. *Ecce iam noctis*) et precedens (i.e. *Nocte surgentes*) dicuntur omnibus dominicis diebus et feriis per totum annum ad matut... » (f. 104^{va}), cum in Ord. dicatur: « Iste hymnus et praecedens dicantur omnibus dominicis diebus ».

tium » vero « officium ». Vocabulum « servitium » hoc uno loco occurrit in B¹³, saepe autem in Ord. Exon. (v.g. pp. 132, 139, 149, 161, 163), aliquoties etiam in Ord. Carm. (pp. 113, 205).

MEMORIA ADVENTUS IN FESTO S. THOMAE AP.

Ord. Exon., p. 59

B, f. 74^{ra}

« Quando enim festum apostoli differtur a dominica in secundam feriam, tunc eo anno antiphona *Nolite timere* omnino pretermittatur, et antiphona ferialis *Dicit dominus* ad memoriam de Adventu dicatur ».

« Quando autem festum apostoli differtur in secunda feria. ant. *Nolite timere* omnino pretermittatur et ant. ferialis (sic). sc. *Dicit dominus penitentiam* ad memoriam dicatur ».

Notate in utroque textu usum vocabulorum « differre » et « praetermittere ». In Ordinario autem Humberti (n. 34) legitur: « Quando autem festum transfertur in secundam feriam, ant. *Nolite* omnino dimittatur, et antiphona ferialis, scilicet *Dicit Dominus*, ad memoriam dicatur¹⁴ ».

IN NATIVITATE DOMINI

p. 66

B, f. 81^{rb}

« Finito fere nono responsorio statim procedat diaconus cum subdiacono et thuribulario et ceroferario et

« Finito *R*io procedat diaconus cum sollempni apparatu precedentibus thuribulo et candelabris et cruce et

et feriis per totum annum ad Matutinas et Laudes... » (n. 92). Pariter in B: « In festis duplicibus et totis duplicibus faciat qui preest officium in utrisque vesperis et matutinis et missam (sic) » (f. 512^{rb}), Ord. autem hanc habet rubricam praecedenti respondentem: « Officium in utrisque Vesperis et in Matutinis et in Laudibus et in Missa in dextro choro inchoetur » (n. 277; cf. n. 279). Aliud exemplum in B: « Quodcumque festum intra adventum domini celebratur, semper post collectam de festo ad vespas et ad matutinas facienda est memoria de adventu » (f. 49^{rb}). — Etiam in Ordinario Humberti aliquando occurrit vox « matutinae » pro toto Officio nocturno, v.g. in titulo rubricae « De matutinis dominicae », in qua rubrica (nn. 7-10) agitur non tantum de Nocturnis (nn. 7-9), sed etiam de Laudibus (n. 10); et, raro, in aliqua rubrica, quae de antiquis rubricis immutata in Ordinarium transiit: « Finita post psalmos antiphona, statim inchoetur *R*. *Haec dies* sine versu. Et sic dicatur cotidie ad omnes Horas per hebdomadam, usque ad sabbatum exclusive, praeterquam ad Matutinas » (Ord. n. 162 = B, f. 190^{rb}).

¹³ Habetur hic fortasse indicium alicuius fontis communis, in quo semper adhibetur vox « servitium »: in B hoc uno loco haec vox remansit, aliis in locis voce « officium » ei substituta.

¹⁴ Eadem rubrica in Ord. Carm. (p. 92), sed textus est corruptus.

accolito crucem ferente, omnibus cum solemni apparatu indutis, ad thurificandum altare, et accepta benedictione ab executore officii, per medium chori ad cantandum euuangelium in pulpito accedat ¹⁵ ».

benedicit incensum qui preest. thuriferario ad sedem eius deferente et accepta benedictione ab eo, cantet euuangelium *Liber generationis*. Quo finito statim incipitur ab illis qui regunt chorum *Te deum laudamus*. Et diaconus in sacristiam revertitur. Interim dum *Te deum* cantatur, sacerdos qui primam missam cantare debet prepararet se cum ministris ¹⁶ ».

FERIA QUARTA IN CAPITE IEIUNII

Ord. Exon., p. 112

B, f. 133^{va}

« Et cotidie per totam Quadragesimam collecta, que dicitur ad Missam super populum, dicatur ad Vesperas usque ad Cenam domini, quando de feria agitur ».

« Cotidie per totam quadragesimam collecte que dicuntur ad missam super populum, dicantur ad vespas usque ad cenam domini, preterquam in sabbatis ¹⁷ ».

In Ordinario Humberti sic sonat rubrica (n. 128): « Hac die et deinceps usque ad Cenam Domini exclusive, orationes ... Ad vespas vero dicantur propriae quae notatae sunt per singulas ferias, nisi in sabbatis, in quibus semper dicitur oratio sequentis dominicae ¹⁸ ».

FERIA QUARTA HEBDOMADAE SANCTAE

p. 132

B, f. 172^{va}

« Hac die non dicantur Preces ad Vesperas, nec memoria fiat pro penitentibus propter solemnitatem Cene ».

« Ad vespas non dicantur preces ».

In Ordinario Humberti legitur (n. 150): « Ad vespas non dicantur preces, nec fiat prostratio, nec aliqua memoria ».

¹⁵ Eadem rubrica, fere ad verbum, in Manuali Sarum: HBS 91, 5.

¹⁶ In Ordinario Humberti textus habetur multo brevior (n. 42).

¹⁷ In Brev. Hereford. loco « preterquam in sabbatis » legitur: « nisi in sabbatis »: HBS 26, 254.

¹⁸ Ord. Carm. (p. 117) eandem praebebat rubricam quae in Ordinario Humberti, nisi quod post verba « per singulas ferias » addat « illae scilicet quae super populum dicuntur ».

In fine Vesperarum

Ord. Exon., p. 132

B, f. 172^{vb}

« oratio *Respice* ... Hec predicta oratio dicatur ad omnes horas hiis tribus diebus sequentibus, nisi ad Vesperas in Cena domini, et ad Vesperas in sancto sabbato Pasche ».

« Oratio *Respice*... Hec oratio dicatur (sic) ad omnes horas hiis tribus diebus sequentibus nisi ad vespas. in cena domini et in sabbato sancto pasche¹⁹ ».

FERIA QUINTA IN CENA DOMINI

Post Laudes

p. 134

B, f. 178^{ra}

« Hac die non prosternant se clerici in choro ad Primam, nec ad alias horas, propter solemnitatem Cene ».

« Hac die non prosternant se fratres ad horas in choro propter sollempnitatem cene nisi in hac hora tantum scil. post mat. ».

In Ordinario autem Humberti legitur: « Hac die non fiant prostrationes ad Horas, nisi in hac Hora tantum²⁰ » (n. 152).

SABBATO SANCTO

p. 138

B, f. 187^{va}; M, f. 1^r

« Officium huius diei sic incipiatur quatinus post horam Nonam Missa dicatur. Sacerdote itaque dicente *Pax domini sit semper vobiscum*, et choro respondente *Et cum spiritu tuo*, non dicatur *Agnus dei* nec pax detur, sed facto modico intervallo, alta voce ... incipiatur ... Ant. *Allehuya*.

Et hoc modo Missa et Vespere simul finiantur.

Completerium hac die hoc modo dicatur ».

« Officium huius diei sic incipiatur quatinus post nonam missa dicatur et sacerdote dicente. *Pax domini sit semper vobiscum*. Et choro respondente. *Et cum spiritu tuo*. non dicatur. *Agnus dei*. nec pax detur. sed facto²¹ intervallo: alta voce incipiatur hec ad vespas ant. *Allehuya*.

hoc modo missa et vespere simul finiantur (M: terminantur).

Completerium²² hac die hoc modo dicatur ».

¹⁹ Huiusmodi rubrica deest in Ordinario Humberti.

²⁰ In HBrev. (f. 103^{ra}) et in Ord. Carm. (p. 137) legitur: « Hac die non fiant prostrationes ad Horas propter solemnitatem Cenae, nisi in hac Hora tantum ».

²¹ Ordinarium Humberti addit: « modico » (n. 664).

²² In B fere ubique loco « Completerium » legitur « Complectorium ».

In Ordinario Humberti desunt prima verba huius rubricae (« Officium ... missa dicatur »), et ceterum rubrica paululum aliter redacta est (nn. 664, 158, 159).

IN DIE PASCHAE

In Laudibus

Ord. Exon., p. 140

M, f. 3^v

« Nulla die per ebdomadam dicatur ad Matutinas Gradale *Hec dies*. Sed statim post antiphonam... ».

« Nulla die in hac ebdomada dicatur ad mat. R̃. *Hec dies quam fecit dominus*, sed statim post ultimam a. ad laudes incipiatur a. *Et valde mane*.

In B (f. 189^{vb}) rubrica iam abbreviata est: « Per totam ebdomad. statim post ultimam ant. de laudibus incipiatur ant. *Et valde...* »; et in Ordinario Humberti haec tantum leguntur: « Post praedictam antiphonam statim incipiatur ad Ben. ana *Et valde* » (n. 160).

Ad Primam

p. 140

B, f. 190^{rb}; M, f. 3^v-4^r

« Post antiphonam statim incipiat cantor Gradale *Hec dies* et dicatur sine versu et sine neupma cotidie per ebdomadam ad Primam, Terciam, Sextam, et Nonam et ad Vesperas et ad Completorium. Tamen ad Vesperas cum versu diei dicatur sed sine neupma ».

« Post repetitionem antiphone statim inchoetur R̃. *Hec dies* sine versu (M add.: « et sine neuma »). Et sic dicatur cotidie ad omnes horas per ebdomad. usque ad sabbatum (M om. verba « usque ad sabbatum »). preterquam ad matut. ad vespas autem dicatur cum versu illius diei et cum neuma ».

Rubrica, prout iacet in M (praeter ea quae intra parenthesim habentur), fere ad verbum repetitur in B. In Ordinario Humberti (n. 162) legitur: « Finita post psalmos antiphona, statim inchoetur R̃. *Haec dies* sine versu. Et sic dicatur cotidie ad omnes Horas per hebdomadam usque ad Sabbatum exclusive, praeterquam ad Matutinas. Ad Vesperas autem dicatur cum versu illius diei ».

p. 141

M, f. 4^r; B, ff. 190^{rb}-190^{va}

« Et hoc modo dicatur Prima per totam septimanam ».

« et hoc modo dicatur prima per totam septimanam ».

Ordinarium Humberti addit: « nisi quod in quarta feria et deinceps dicatur oratio *In hac hora* et in Sabbato loco *R̃. Haec dies* dicatur *Alleluia. Haec dies* » (n. 162).

Ord. Exon., p. 141

M, f. 4^r

« Cetere eciam hore eodem modo finiantur ».

« Cetere [hore] autem hoc eodem modo finiantur ».

Ad Vesperas

p. 141

B, f. 190^{va}; M, f. 4^r

« Ad Vesperas... *Kyrieleyson*... Ant. *Alleluia*. ps. *Dixit dominus*. ps. *Confitebor*. ps. *Beatus vir*. Idem psalmi cum predicta antiphona dicantur ad Vesperas per totam ebdomadam. Repetita antiphona super psalmos tres clerici... incipiant idem Gradale *Hec dies*. Chorus prosequatur sine neupma. Clerici *Ÿ. Confitemini*. Chorus ultimam dictionem scilicet *Eius* cum neupma. Et sedeat chorus dum idem versus canitur. Postea quatuor seniores, qui eciam cantarunt *Alleluia* ad Missam, simili modo... dicant *Alleluia*, et repetatur cum neupma a choro... Item, seniores *Ÿ. Epulemur* ».

« Ad vespas... *Kyrieleyson*... Post *Kyriel*. statim inchoetur ant. *Angelus autem*. ps. *Dixit dominus*. ps. *Confitebor*. ps. *Beatus vir*. Hec antiphona et hii tres psalmi dicantur cotidie ad vespas usque ad vespas sequentis sabbati. Repetita ant. post psalmos duo fratres cantant *R̃. Hec dies*. cum versu *Confitemini domino*²³. *R̃* non repetitur. sic cotidie dicitur *R̃*. cum versu qui dicitur ad missam usque ad sabbatum. ... postea quatuor fratres cantent *alla* cum versu *Epulemur* et *alla* post versum repetatur... ».

Iuxta Ordinarium Humberti *Kyrie* incipitur a duobus cantoribus, post tres primos dies autem ab uno; et loco versus *Epulemur* cantatur versus *Pascha* (n. 163).

E rubricis de die Paschae, quae supra referuntur, patet rubricas codicis M (codice B antiquioris) proprius accedere ad similitudinem rubricarum Ordinalis Exoniensis quam B²⁴.

²³ Hic rubrica in M abrumptur, quia f. 4^v habetur rasura.

²⁴ Conspicua quoque similitudo inter Ord. Exon. et M (praeter alias) haec est. Si festum Inventionis Crucis in vigilia Ascensionis evenerit, iuxta M (f. 98^v) « ibi celebratur. vespere fiant de ascensione et sollempnis memoria fiat de cruce ». Eadem rubrica in Ord. Exon. (p. 224). Numquam in B et H fit in casibus similibus sermo de « sollempni memoria », sed simpliciter de « memoria ». Eadem locutio adhibetur in Ord. Exon. pro casu quo Annuntiatio B.V. in Quadragesima contingit: tunc fit « sollempnis memoria de Ieiunio » (p. 218).

Antequam, anni liturgici circulum sequentes, evolutionem Officii Divini, prout e comparatione omnium documentorum quae ad nos pervenerunt elucet, exponere aggrediamur, breviter agere debemus de structura ipsius Officii.

Distributio psalmodum per hebdomadam in B eadem est quae in H, cum iisdem proprietatibus: psalmi 21-25, qui in Breviario Romano usque ad illud Pii V qualibet die dominica, excepto tempore paschali, ad Primam dicebantur, a Septuagesima usque ad Pascha tantum dicuntur; pariter psalmus 117, qui in Breviario Romano die dominica extra Septuagesimam ad Primam, infra autem Septuagesimam ad Laudes dicebatur, infra Septuagesimam tantum ad Laudes dicitur (Ord. O.P. nn. 10, 124, 125); demum toto tempore paschali ad Matutinum tres tantum psalmi dicuntur. Antiphonae feriales Psalterii eadem sunt in B et H.

Sicut in H, ita etiam in B, in Nocturnis desunt absolutiones; non omittitur ultimum R. (III vel IX) Matutini, quando sequitur *Te Deum*; ante Laudes dicitur versiculus; nonnullis diebus in I Vesperis et tempore Septuagesimae ad Horas dicitur R. prolixum, etc.

Ad quaedam autem elementa Officii Divini quod attinet, aliqua evolutio animadvertitur, prout in his quae sequuntur ostenditur.

DE QUIBUSDAM ELEMENTIS OFFICII DIVINI

a) E Constitutionibus tum B. Iordani (a. 1236)²⁵ tum S. Raimundi (a. 1241)²⁶ scimus ante Primam et Matutinas et post Completorium *Pater noster* et *Credo in Deum* dicta fuisse. Idem patet, quoad *Pater noster* et *Credo* ante Primam et Matutinas, e rubricis Feriae V in Cena Domini in B (ff. 172^{vb}+178^{ra}) et H (Ord. nn. 151 et 153), et, quoad *Pater noster* et *Credo* post Completorium, e rubrica de antiphona cantanda post Completorium in H (Ord. n. 481). De dicendo *Pater noster* ante reliquas Horas nulla habetur rubrica generalis in B et H²⁷. At

²⁵ Dist. I, cap. 1: Analecta S. Ord. Praed. IV (1896) 623. – Cap. gen. a. 1245: « Item (Admonemus). Ubi salve regina coram populo dicitur, post fidelium anime. fratres in chorum revertantur, et more solito. pater noster. et credo in deum. dicant » (MOPH III, 32).

²⁶ Dist. I, cap. 1 et 2: AFP XVIII (1948) 31.

²⁷ Sed ad Vesperas in die Paschae in B (f. 190^{va}) et Ordinario Humberti (n. 163) legitur: « Ad Vesperas non dicatur *Deus in adiutorium*, sed dicto *Pater noster*, sic incipiantur... ». In M (f. 4^r) dicitur tantum: « Ad vespas non dicitur *Deus in adiutorium*, sed sic incipiat *Kyrieleyson*... ».

in Expositione Humberti super Constitutiones Fratrum Praedicatorum legimus: «Et notandum quod ex hoc quod hic (Dist. I, cap. 1) dicitur: «Postea dicatur *Pater noster*» et ex illo quod dicitur primo capitulo proximo: «Facto signo dicant *Pater noster*» tracta est consuetudo quam habemus dicendi *Pater noster* in principio et in fine horarum²⁸». Idem patet, quoad *Pater noster* in fine Horarum, e rubrica Ordinarii dominicae I post octavam Epiphaniae (n. 79) et e rubricis Feriae V in Cena Domini tum in B (f. 178^{ra}) tum in H (Ord. n. 152).

In Actis Capituli generalis a. 1246 haec habetur inchoatio: «Item hanc: *Credo in Deum* non dicatur ante primam nec post completorium²⁹», sed haec inchoatio non est confirmata in Capitulis subsequentibus.

b) E rubrica Ordinarii (n. 71), in I Vesperis dominicae I post octavam Epiphaniae, scimus omnes Horas inchoandas esse versiculo *Deus, in adiutorium*, cui ad Matutinas praemittendus est *Ÿ. Domine, labia mea*, ad Completorium *Ÿ. Converte nos*, ante Laudes versiculus (sacerdotalis). In B non habetur huiusmodi rubrica generalis, sed Horas tali modo inchoatas fuisse patet e rubricis Feriae V in Cena Domini et Officii Omnium Fidelium Defunctorum, in quibus dicitur hos versiculos his diebus omittendos esse (ff. 172^{vb}, 178^{ra}, 447^{va}) et e rubricis diei Paschatis, e quibus elucet hos versiculos iterum resumendos esse (f. 187^{vb}, etc.). Idem patet e respectivis rubricis in C et M.

c) Quod post quamlibet Horam et post Missam conventualem quando non sequitur Hora dicendum est *Fidelium animae*, praescribunt rubricae Ordinarii (nn. 79 et 481).

His rubricis Ordinarii concordant quae leguntur in Actis Capituli generalis a. 1252: «Item (Admonemus). Cum missa dicitur post aliquam horam et alia hora non sequitur post missam immediate. dicatur fidelium et pater noster sicut post horas solet dici. Si autem missa fuerit de mortuis. postquam dictum fuerit. requiescant in pace. non dicatur. fidelium. sed tantummodo. pater noster³⁰». Ex Actis Capituli generalis a. 1245 patet iam tunc temporis in fine Completorii *Fidelium* dictum fuisse: «Admonemus. Item. Ubi salve regina coram populo dicitur, post fidelium anime. fratres in chorum revertantur. et more solito. pater noster et credo in deum dicant³¹».

²⁸ Humberti de Romanis Opera de Vita Regulari, ed. J. J. Berthier O.P., II, Romae 1889, 138.

²⁹ MOPH III, 35.

³⁰ Ibid., III, 64.

³¹ Ibid., III, 32.

8. In omni tribulatione et angustia subveniat nobis Virgo Maria.
9. Ad societatem civium supernorum perducatur nos regina angelorum.

In sabbatis dicantur tres ultimae quando de ea fit officium in conventu.

In Ordinationibus Divini Officii Haymonis de Faversham³⁶ et in Ordinationibus O.E.S.A.³⁷ eadem habentur benedictiones quae in B, praeterquam quod, si fuerit festum, illic loco octavae benedictionis *Divinum auxilium* dicitur *Cuius* vel *Quorum festum colimus ipse* vel *ipsa* vel *ipsi intercedant* etc., quod differunt benedictiones in Natali Domini, et quod non habentur benedictiones speciales pro festis beatae Virginis³⁸.

Ordo Breviarii Haymonis dat benedictiones pro Officio parvo B.M.V. tantum³⁹, quae tamen differunt ab illis quae habentur in HPSalt. (f. 85^v-86^r), iuxta quod primae tres ex novem supra pro festis B.M.V. memoratis dicuntur.

e) In Capitulo seu *Pretiosa* ante lectionem de Constitutionibus vel de Evangelio datur benedictio (H Mart., cf. Ord. App. n. 5). E Constitutionibus tum B. Iordani (I, 1) tum S. Raimundi (II, 6) scimus hanc ante Constitutiones seu Institutiones esse *Regularibus disciplinis*, ante autem Evangelium *Divinum auxilium*. In H Coll. (f. 50^{re}) inveniuntur formulae integrae harum benedictionum *Divinum auxilium maneat semper nobiscum. Amen*, et *Regularibus disciplinis instruat nos magister caelestis. Amen*. B non praebet has benedictiones, sed statim post orationem *Dirigere* legitur rubrica: « Postea sequitur lectio de euangelio vel de constitutionibus pro tempore » (f. 105^{rb}).

f) Ad *Pretiosa*, iuxta B (f. 105^{rb}), Fratres qui extra conventum sunt, si evangelium proprium in promptu non habuerint, dicere possunt: *Domine, miserere nostri, te enim exspectavimus; esto brachium nostrum in mane et salus nostra in tempore tribulationis* (Is 33,2)⁴⁰, diebus vero profestis « loco constitutionis ante omnia sunt » (sic). Videtur agi de

³⁶ van Dijk, Sources I, 97; II, 340, n. 18.

³⁷ P. C. Langeveld, Ordinationes et Ordinarium cum notis O.E.S.A. saeculi tertii decimi [Nijmegen 1960], 6-7.

³⁸ In Ord. Carm. (p. 24) dantur tum benedictiones ordinariae, quae in paucis ab illis supra relatis discedunt, tum speciales pro festis B.M.V., quae satis differunt. Illae autem benedictiones (ordinariae et speciales de B.M.V.) quae inveniuntur in Breviario Sarum (Vol. I, ante Rubricas generales) multo magis discrepant.

³⁹ van Dijk, Sources II, 188.

⁴⁰ Hic versus Isaiae alibi, certis diebus, adhibetur tamquam Capitulum ad Primam: Brev. Sarum, Ord. Exon., Brev. Hereford., Portiforium S. Wulstani (HBS 89, 1, n. 12).

initio Regulae S. Augustini: *Ante omnia fratres carissimi ...* Iuxta H autem loco evangelii proprii dicunt initium evangelii S. Iohannis *In principio usque sine ipso factum est nihil*, de Constitutionibus vero initium prologi *Quoniam ex praecepto regulae usque uniformes in observantiis canonicae religionis inveniamur* (Ord. n. 505).

g) Ad Primam, iuxta B, diebus ferialibus et in festis trium lectionum, dicuntur capitulum *Pacem et veritatem* et oratio *Domine Deus omnipotens*, ceteris vero diebus capitulum *Regi saeculorum* et oratio *In hac hora* (f. 53^{rv}); iuxta H autem, etiam in festis trium lectionum dicuntur capitulum *Regi saeculorum* et oratio *In hac hora* (Ord. nn. 96, 102, 111).

Oratio *Domine Deus omnipotens*, in B, sicut in Breviario Romano et apud Alcuinum⁴¹, continuatur *qui ad principium huius diei nos pervenire fecisti* (f. 107^{vb}), in H autem *qui nos ad principium huius diei pervenire fecisti* (Coll., f. 45^{va}; Brev. f. 95^{ra}).

h) Secundum Constitutiones tum B. Iordani (I, 8) tum S. Raimundi (I, 1) « dicto completorio det benedictionem qui preest ». A Capitulo generali a. 1240 supprimitur haec benedictio: « Benedictio post completorium non detur⁴² », sed in Capitulis subsequentibus hoc statutum non est confirmatum. B neque formulam dat huius benedictionis neque rubricam quae eam praescribat⁴³, in H (Ord. n. 80) autem legitur: « Oratio *Visita*. Responso *Amen* post orationem sequitur *Benedicamus ...* Deinde detur benedictio a praelato vel ab hebdomadario, si praelatus in choro non fuerit ». In HColl. (f. 51^{ra}) datur formula huius benedictionis: *Benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper. Amen* ».

i) *Benedicamus Domino* in fine Laudum et Vesperarum. — E rubricis, cum in M tum in B, patet in fine Laudum et Vesperarum bis dictum fuisse *Benedicamus Domino*: prima vice post orationem diei, altera vice post memorias, si adfuerint.

In M, ad Vesperas diei Paschae, haec legitur rubrica: « Post primum *Benedicamus* fiat processio ubi commodè fieri potest ... » (f. 5^r). Similiter in B, ad easdem Vesperas, haec habetur rubrica: « Post primum *Benedicamus* fiat processio ubi comode fieri poterit », et post orationem de B.V. in fine processionis sequitur: « *Benedicamus domino alla. Deo*

⁴¹ De psalmodum usu: PL 101, 507; cf. *ibid.*, 462.

⁴² MOPH III, 14.

⁴³ Neque dominica I post octavam Epiphaniae ad Completorium (f. 101^{ra}), neque Sabbato Sancto (f. 188^{ra}).

gratias alla. et sic terminentur vespere » (ff. 190^v-191^r). Repetitio autem huius versus non fit tantum in Vesperis huius diei, quia post Laudes diei Paschae in B haec invenitur rubrica generalis: « Et sciendum quod infra hoc tempus primum *Benedicamus* in vespers et in matut. cum duplici *alla.* secundum vero cum simplici ab uno cantantur. In festis autem duplicibus et totis duplicibus utrumque dicitur a duobus ... » (f. 190^r).

Sed, si praescribitur ut « infra hoc tempus », i.e. infra tempus paschale, utroque *Benedicamus* addatur *alleluia*, concludendum est etiam extra tempus paschale *Benedicamus* bis dictum fuisse, etsi nulla rubrica in B hoc lucide declarat. Huiusmodi autem rubrica generalis invenitur in antiquo Ordinali Ordinis Carmelitarum s. XIII: « Et sciendum quod nunquam dicitur *Benedicamus Domino* cum *Alleluia* nisi in sabbatho ad Nonam⁴⁴ quando clauditur *Alleluia*, et nisi pro tempore Pascali et tunc cum dicendum fuerit in festo IX. lectionum et supra: ad Primam⁴⁵ *Benedicamus Domino* dicatur cum duplici *Alleluia* in Vesperis et Matutinis. In festo autem trium lectionum et feriis et post memorias⁴⁶, dicatur cum uno *Alleluia*. Idem fiat ad Matutinas, Vesperas et Nonam » (p. 21).

Quid simile habetur in Ordinario Innocentii III: « Oratio de feria dicatur alte cum *Benedicamus domino*. Postea suffragia dicantur submissa voce cum *Benedicamus domino*⁴⁷ ».

Eadem rubrica observabatur, diebus ferialibus, secundum Ordinem Breviarii Haymonis de Faversham⁴⁸, sed postea ab aliquo Capitulo generali⁴⁹ primum *Benedicamus Domino* suppressum est⁵⁰.

Bis dicitur pariter in Vesperis Paschae, ante et post processionem iuxta Ordinarium Praemonstratense⁵¹, Ordinarium Ecclesiae Laudunensis⁵², Ordinale Exon⁵³. In Ordinali Exon. pluries agitur in rubricis

⁴⁴ I. e. sabbato ante Septuagesimam.

⁴⁵ Legendum videtur « ad primum ».

⁴⁶ I. e. ad secundum *Benedicamus*.

⁴⁷ S. J. P. van Dijk, The Ordinal of the Papal Court from Innocent III to Boniface VIII and related documents, Fribourg 1975, 162.

⁴⁸ van Dijk, Origins, 268-269; Idem, Sources I, 86; II, 55.

⁴⁹ Nescimus quo anno hoc Capitulum generale celebratum sit; secundum van Dijk, Origins, 269: « in the sixties ».

⁵⁰ van Dijk, Sources II, 434, n. 5.

⁵¹ Pl. F. Lefèvre, L'Ordinaire de Prémontré d'après des manuscrits du XII^e et du XIII^e siècle, Louvain 1941, 69.

⁵² Ulysse Chevalier, Ordinaires de l'Eglise Cathédrale de Laon, XII^e et XIII^e siècle (= Bibliothèque Liturgique, tom. VI), Paris 1897, 121-122.

⁵³ HBS 37, 142-143; cf. 140.

de duplici *Benedicamus Domino*, v. g. dominica I Adventus, in die Natalis Domini⁵⁴, sed rubricam generalem ibi non invenimus.

Iuxta H semel dicitur *Benedicamus Domino*, post ultimam orationem (Ord. n. 78).

k) Duplicatio antiphonarum. — Erantne in vetustiore Liturgia Dominicana, certis saltem diebus, antiphonae dicendae ante et post psalmos? Res nobis quidem dubia esse videtur. Plures enim rubricae hebdomadae sanctae in C (f. 115^{rv}), M (ff. 1^r, 3^v, 4^r, 5^v), B (ff. 178^{rb}, 183^{rb}, 183^{va}, 188^{ra}, 190^{rb}, 190^{va}, 191^{rb}) duplicationem antiphonarum ad psalmos suspicari faciunt. In his enim rubricis (feria V in Cena Domini, feria VI in Parasceve, Sabbato Sancto, Paschate) semel atque iterum (ad Primam, Vesperas, Completorium) occurrunt, non solum post cantica (*Magnificat*, *Nunc dimittis*), sed etiam post psalmos, verba: « repetita antiphona » vel « post repetitam antiphonam », v. g. feria V in Cena Domini: « Ad primam dicto *pater noster* et *credo in deum* inchoatur ant. *Xpistus factus est* ... et post repetitam antiphonam *Xps factus est* ... (B, f. 178^{rb}), et in die Paschae: « Ad vespas ... *Kyrieleyson* ... post *Kyrieleyson* statim inchoetur ant. *Angelus* ... Repetita ant. post psalmos ... » (B, f. 190^{va}).

In Ordinario Humberti hae rubricae emendatae sunt et loco harum locutionum ibi legitur: « finita (dicta) post psalmos antiphona » (Ord. nn. 156, 159, 162, 163, 166). Semel tamen, feria V in Cena Domini, verba « post repetitam antiphonam » Ordinarii redactorem fugerunt: « Ad Primam, dicto *Pater noster* et *Credo*, inchoetur antiphona *Christus factus est*. Post repetitam antiphonam *Christus*, absque *Kyrie* ... » (n. 153)⁵⁵.

Dicebanturne igitur in prisca Liturgia Dominicana his diebus antiphonae ante et post psalmos, an agitur de modo dicendi redactoris rubricae parum emendato (rubricis ex alio fonte desumptis)?

Altera ex parte habentur in B rubricae quae duplicationem antiphonarum ad psalmos excludunt. Dominica enim I Adventus, sabbato praecedenti ad Vesperas, sic sonat rubrica: « Super psalmos ant. *Benedictus*. Cantor ipsum psalmum prosequatur hoc modo *Dominus deus meus* » (f. 49^{ra}). Et inter rubricas generales haec invenitur: « Et sciendum quod in festo toto duplici ant. ad magn. et ad bened. tota cantatur ante psalmi [= cantici] intonationem » (f. 512^{ra}).

Ex his quae supra de quibusdam elementis Officii Divini retulimus apparet rubricis quae in B leguntur deesse perfectionem et integritatem

⁵⁴ Ibid., 25, 68-69.

⁵⁵ Error remansit in editionibus Ordinarii typis impressis aa. 1520, 1558, 1576, 1582.

quas habent in Ordinario Humberti. Ordo Divini Officii, in hoc Ordinario, dominicae I post octavam Epiphaniae insertus, in B partim huic dominicae partim iam dominicae I Adventus est insertus. Plura autem in B in hoc ordine desiderantur, v.g. quomodo Horae inchoantur (*Deus, in adiutorium*, etc.), quomodo terminantur (*Benedicamus Domino, Fidelium*). Insuper rubricae generales in B non simul ponuntur, sicut in initio Ordinarii Humberti, at plures earum ibi inveniuntur ubi primum requiruntur: v.g. quae oratio dicenda sit ad singulas Horas, dicitur ad Tertiam dominicae I Adventus (Ord. O.P. n. 6); quomodo historia dominicalis per hebdomadam sit dividenda, habetur feria 2^a post dominicam I Adventus (Ord. O.P. n. 11). Normae de occurrentia et concomitantia festivitatum, de translatione earum, de memoriis faciendis inveniuntur in B ad I Vesperas dominicae I Adventus, ad I Vesperas dominicae Septuagesimae et post Communia (f. 510 ss.); in Ordinario autem Humberti huiusmodi rubricae simul habentur ante Proprium de Sanctis. Rubricis ad Missam pertinentes (v.g. quae Missa sit dicenda, de memoriis faciendis) saepe rubricis de Officio Divino permiscuntur (ff. 49^{rb}, 76^{ra}, 84^{va}, 512^{ra}).

His omnibus consideratis opinamur Ordinem Fratrum Praedicatorum tempore quo codex B exaratus est Ordinarium nondum habuisse ⁵⁶.

⁵⁶ « Ordinarium fratrum », de quo agitur in Constitutionibus Sororum de Monte-Argi a. 1250 (« Communio vero et unctionio omnino fiat secundum modum qui scriptus est in ordinario fratrum »: AFP XVII (1947) 82), nostro iudicio, idem est atque Ordo communionis et unctionis infirmorum seu Rituale, id est, liber in quo non tantum continentur rubricae et initia textuum, sed rubricae et integri textus in administratione horum sacramentorum dicendi. Idem dicendum putamus de Ordinario, cuius fit mentio in Constitutionibus Sororum Ord. Praed. a. 1259, cap. 29 (Analecta S. Ord. Praed. III (1897) 347 et 348). Hic liber igitur non fuisset eiusdem generis atque Ordinarium Humberti, quod initia tantum dat textuum dicendorum.